

Lustratio Latina in Burgundico tabulario

Ave omnes ! Pergrati mihi venitis. Ubi sumus ? Ecce: haec domus splendida totius Collis Aurei necnon provinciae Burgundiae tabularium est. Ego quidem Eduardus minor ; huius tabularii chartarius sum.

Procedamus rogo in hortum ! Hic crescunt herbae, salvia, rosmarinus, menta et buxum ; etiam arbores conspicuntur – tilia scilicet, taxus, carpinus et sycomorus.

His dictis quidni nunc pauca de rebus gestis referam? Haec domus decimo quinto saeculo a Nicolao Rolin aedificata est, qui tunc temporis ducis Philippi cognomine Boni archicancellarius erat. Ex civitate Augustodunensi oriundus Nicolaus ille abunde pollens potensque plurimas domos in Burgundia, in Flandria et in omnibus provinciis quibus Philippus dux praeverat, sibi aedificavit. Hinc Palatum ducale quod dicitur, nunc municipale, haud procul abest.

Pergamus ! Hoc in conclavi (nuper militum aula) oratiunculae, musica chartarumque exhibitiones fiunt

Redeamus ad res gestas! Regnante Ludovico eius nominis decimo quarto Francorum rege, vicecomes major unacum Divionensibus scabinis hanc domum reaedificavit. Et tunc temporis vetula domus palatum facta est !

Spectate, vos amabo, hanc aulam magnam, dorico genere columnis ornatam ; admiramini summa majestate scalas. Hoc Matrimonium Romanum ab Eugenio Willelmi saeculo undevicesimo exeunte sculptum est. Conjuges in eadem sella sedent. Vir uxori dicit : « Ubi tu Gaia ego Philippus ». Et uxor viro respondet : « Ubi tu Philippus, ego Gaia ». Obiter : haec statua e candido marmore sculpta est.

Duae inscriptiones in muro recenter adfixae sunt. Altera Sancti Alexii capellae, quae olim in hoc palatio inserta erat, inscriptio est. Altera autem est gentis a Mucia (de Mucie) piae fundationis inscriptio ; haec familia, ex Divionensi patriciatu oriunda, plurimas missas pro patrum animarum salute celebraturam se spoondit.

Sed quis hic severus barbatusque homo est ? Cujus nomen Josephus Garnier est ; ille eruditissimus vir unus ex praedecessoribus meis est. Ille, Collis Aurei necnon totius Burgundiae chartarius, plus quam per septuaginta annos hic munere functus est.

Pergamus ! De prima ex illis duabus pulcherrimis tabulis nunc loquamur. « Schola Atheniensis » inscripta est ; omnes vos exemplum a Raphaele Sanctio Urbinate illustrissimo pictore in Palatio Apostolico Vaticano depictum cognovistis. Media in tabula stant Plato et Aristoteles. Haud pauci philosophi maximi ponderis a Raphaele sub coaevorum suorum specie depicti sunt : Diogenes, Parmenides, Archimedes, et ita porro.

Altera tabula saeculo undevicesimo a Julio Romano Joyant, Parisiensi pictore, depicta est. Forum Romanum tunc temporis Campus Vaccinus denominabatur. Heu, heu : ubi imperatores triumphare soliti erant, ibi vaccas agricolae vendebant...

Occulos vestros huc dirigatis humane rogo : Septimi Severi Imperatoris arcus bases in terra absconditae sunt. Cum omnia fracta et dissiecta iacerent, tamen Capitolium exstabat. Cujus primum tabulatum tabularium vocabatur, in quo loco Reipublicae Romanae tabulae asservabantur. Illud totius Europae vetustissimum tabularium fuit : nunc hercle est tempus totius Europeae pulcherrimi tabularii visitandi ! Venite quaequo !

Rogatur fortasse quis huc veniat. Eruditus ac studiosus lector, qui annales conscripturus rebus gestis studeat. Civis porro, qui jura sua cognoscere et probare vult.

« Ave », dicit civis. « Ave », respondet chartarius, « quomodo tibi profuturus sim ? » Catalogos chartarius demonstrat. Hic iudiciorum, illic notariorum, istic Collis Aurei praefectorum chartarum catalogus est.

Deinde studiosus petit ut chartarius a se selectas chartas et papyros sibi afferat. Omnia scripta in Aula magna legi perlegique possunt.

Hic a lectoribus papiri chartaeque, libere ac ad proprium usum, numerisari possunt. Sed hae imagines a tabulatorio etiam servantur. Cur Alexandrina haec machina vocatur ? Dicunt enim regem Ptolemaeum ab omnium navium in Alexandrinum portum intrantium praefectis rogare solitum esse, ut sibi libros in dictis navibus contentos traderent, eo quidem consilio ut ab Alexandrinis bibliothecariis transcriberentur. Ut Alexandrinae bibliothecae manuscriptorum numerus crevit, sic numerisatarum burgundicarum imaginum, ad instrumentorum computatoriorum promptarum usum, numerus in dies crescit. Alexandrina Bibliotheca olim, jam Divonensis Archivotheca sic constituitur !

Ad Aulam magnam nunc procedamus. O res mirabilis, o aula pulcherrima ! Olim municipii Divonensis aula magna, id est consilii camera, erat ; jam locus est, ubi res gestae leguntur, ubi annales scribuntur. Supra nos lilia, quae regni Galliae ; fasces, quae Francogallicae reipublicae ; aquilae, quae Imperii Francici, emblemata sunt, spectari possunt.

Ecce : dirigte oculos vestros quaequo ad has tabulas quattuor ! Hic Occidentis magni duces repraesentantur. Primus Philippus Audax, secundus Johannes Impavidus ; tertius autem Philippus Bonus ; ultimus vero Carolus Bellator vel Temerarius est. Hinc atque illinc duae statuae cernuntur : a sinistra parte Justitia (cum spatha et statera) nobis occurrit, a dextera iterum Justitia (cum leone et legis tabellis).

Ad aliam rem, quam praeterire minime possum : huc anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo sexto puer quidam, unacum patre et sorore, venit. Cujus nomen Lupigressus Amadeus Mozart erat. Clavichordio cecinit, et omnes provinciae Burgundiae proceres delectavit. Postea omnium musicorum omnium temporum illustrissimus factus est.

Procedamus. Haec archicancellarii Nicolai Rolin capella erat, ut illis picturis demonstratur. Nicolaus ille cum tertia uxore Guigona a Salins, genu terram tangit ; cuius picturae exemplum in Belnensi xenodochio cerni potest.

Simili modo supplex Nicolaus Beatam Mariam Jesum, puerum suum, tenentem orat ; cuius tabulae pictae exemplum, a Johanne ab Eyck, Limburgensi pictore, depictum, Lutetiae Parisiorum in Luparae Museo mirari potestis.

Ecce : hac in aula vicecomes major Divionensis rei publicae studiis olim se dedit. Caminus regnante Ludovico decimo sexto Francogallicae rege exstructus est ; fascibus et rosis eleganter ornata est.

Retrorum incedamus. O sodales, nunc est tempus locorum secretorum, ubi papyri chartaeque repositae sunt, videndorum. Adeamus ergo arcana !

In transitu hoc : quae est ista ? Iterum Justitia, fortis et severa, undevicesimo saeculo depicta. Dextera manu spatham tenente innocentiam protegit ; statera sua culpas pendit ; et quos condemnavit, dilacerat leo.

Nunc quasdam res maximi momenti vobis ostendere consilium est. Ecce : quid est hoc ? Est liber ad cylindri similitudinem confectus ! Huius generis liber volumen appellatur. Spectate : hisce in pegmatibus permulta volumina asservantur ! Quid autem his voluminibus continetur ? Burgundici ducatus castellaniarum rationes sunt. Annuatim castellanus, id est ducis castri custos et capitaneus, Compotorum camerae Divionensi, introitus et exitus, id est rationem acceptorum et datorum probare debebat.

Quidni nunc hoc volumen evolvamus ? Unumquodque ex aliquot ovium pellibus compositum est. Hae pelles ovillae arte pollitae et ad scribendi usum destinatae latine membranae vel chartae pergamenae appellantur. Quid amplius dicam ? Ad has membranas conficiendas opus fuit ingentibus ovium gregibus ! Quantam ovium caedem !

Transeamus nunc ad aliud opus spectatu dignum ! Hic libellus Cisterciense Cartulare antiquum vocatur ; in quo abbatiae praecipuae litterae ac privilegia scripta sunt.

Eccum inspiciatis oro hunc libellum, quem praeterire non possum: in hoc enim libello omnium Gallorum, post secundum bellum mundanum, condemnatorum nomina adscripta sunt qui, Adolpho Hitler in Europa imperante, cum Germanis contra patriam nostram conspiraverunt.

In cauda hodie non venenum, sed thesaurus erit ! Haec praecepta a Karoli Magni Imperatoris successoribus sigillata atque firmata sunt : id est Ludovicus Pius, Karoli Magni filius ; deinde Carolus Calvus, ejusdem Karoli Magni nepos. Sigillum iam deficit, sed nomen titulusque imperatoris, e duodecim saeculis - et in aeternum ? manent.

Nostrae lustrationis ultima meta etiam res mirabilis est. In eunte saeculo duodevicesimo Cisterciensis abbas abbatiae omnia bona et ea quidem immobilia delineanda curavit. Sic creatus est hic Cisterciensis Atlas. Primum domus, ecclesiae, horti, deinde silvae, nemora, stagna, rivi, arva, campi et vineae delineantur. Sub geometrica delineatione quidam frater Stephanus Prinstet homines vitam rusticam agentes delicate pinxit. Videtur dictus Prinstet Publii Vergilii Maronis Eglogas figurasse !

Una ex delineationibus Clausum de Vougeot figurat, ex cuius vineis optimum vinum adhuc fit. Amores ex dolio hoc Falernum optimae notae libenter bibunt...

Vivat, floreat crescatque Latinitas !

Dixi.

Eduardus, Collis Aurei chartarius